



- 7. Similiter formula Carmelitarum, licet Regula id non exprimeret, quare, & quando exprimere cœperit?
- 8. Etiam Monachi in quorum professionis formula votum castitatis non exprimitur, voto castitatis obstringuntur; & quomodo?
- 9. Votum Castitatis duo includit.
- 10. Monachi Matrimonium contrahentes olim excommunicabantur.
- 11. An votum Castitatis olim dirimeret Matrimonium, incertum; at hodie certum est.
- 12. Ut votum Religionis dirimat Matrimonium debet emitti in Religione per Sedem Apostolicam approbatâ.
- 13. Solemnitas voti, uti & efficacia ad dirimendum, pendet à jure positivo.
- 14. Ipsa professio non dat voto illam efficaciam, sed positiva constitutio ei accedens.
- 15. Primum votum, quod emittunt Scholares Societas Jesu, quodam sensu rectè dicitur solemne.

I. Nullis Veterum Monachorum Regulis, quin nec in Benedictina, ulla expressa & specialis professio sive promissio servandæ Castitatis sive continentie occurrat; imo nec in hodierna Benedictinorum professionis formula castitatis servandæ ulla mentio habetur.

II. De suo similiter Carthusiensium alisque ordinibus testatur Petrus Dorlandus: "Nos Carthusienses, sed & Cluniacenses, & Camaldunenses & Cistercienses & Canonici Regulares, nec paupertatis, nec castitatis votum palam emittimus."

Neque in primigenia Carmeliticæ Ordinis Regula à S. Alberto exarata ulla castitatis professio continetur; sed o. i. dicitur dumtaxat, quod Priori obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate servare.

III. Primus qui castitatis & paupertatis expressam mentionem professionis formulæ adjecit, videtur fuisse S. Franciscus; qui capite 1. suæ Regulæ habet: "Regula & Vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini Nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, & in CASTITATE."

Deinde capite 2. ait: "Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam & Regulam istam semper observare."

Ex quibus sat manifestè habetur, quod juxta Regulam S. Francisci Professuri promittere deberent, idque verbis expressis, vivere in obedientia, sine proprio, & in CASTITATE.

IV. His consonat hodierna formula professionis Fratrum Minorum, quæ hoc tenore exprimitur. "Ego frater N. voveo & promitto Deo & Beatæ Mariæ Virgini & Beato Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini Nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio & in CASTITATE."

V. Ordinis Minorum formulam tamquam clarius & expressius tria illa vota exprimentem, nonnulli alii Ordines postmodum imitati sunt; atque tria illa, vivere in obedientia, sine proprio, & in Castitate, in formula suæ professionis exprimere cœperunt.

VI. Ita Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini expresse voverunt obedientiam, & vivere sine proprio, & in Castitate secundum Regulam Patris Augustini usque ad mortem: quamquam ipsa Regula Augustini nullam professionem expressam Castitatis præscribat: quam nec Ordo Prædicatorum nec Canonicorum Regularium, tamen Regulam Augustini profiteantur, in suæ professionis formula expriment.

VII. Professionis quoque Carmelitarum per Innocentium IV in Constitutione, quâ Regulam Albertinam declarat & mitigat, addita fuere hæc verba: cum Castitate & abdicazione proprietatis. Verebantur enim (ait R. P. Pagnbrochius in commentario prævio ad vitam S. Alberti 8 Aprilis cap. 11. num. 115.) ne absque explicita

trium Religiosorum votorum professione, negarent aliqui pro verè Religiosis habendos Carmelitas; ex vulgi scilicet imperiti sensu: Nam explicita trium votorum professio usitata non fuit in Monachatu veteri. Addeque, quod ante Mendicantium tempora non, quam fuit tamclarè expressa triam votorum Religiosorum distinctio.

VIII. Num igitur veteres Monachi, atque etiam modernæ, qui in suæ professionis formula Castitatis mentionem non faciunt, CASTITATIS voto non obstringuntur? Omnino, Nam qui se Deo per susceptionem vitæ Monachalis dedicat, vovetque, is se obstringit vivere eundem eam vivendi normam, quam vovet.

Potè vita Monastica includit, ac semper per inclusit essentialiter cælibatum, sive custodiam continentie seu obligationem vivendi in Castitate; ita ut si cælibatum destruas, ipsum Monachatum destruas.

Qui ergo Regulam ac vitam Monasticam olim vovebat, quique hodie eam vovet, etiam consequenter vovet vivere in Castitate; tamen formula professionis votum Castitatis explicitè non contineat; eo quod Regula & vita norma, quam professus est, obligationem vivendi in Castitate essentialiter includit; juxta illud Innocentii III. in cap. CUM AD MONASTERIUM De Statu Monach. Abdicatio proprietatis & custodia Castitatis adeo est annexa Regule Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit dispensare."

IX. Duo verò includit votum Castitatis in Religione emissum. Primum vivere in Castitate extra Matrimonium; sive omnia peccata seu interna seu externa contra Castitatem vitare; idque etiam ex voto: adeo ut, si Religiosus peccet contra Castitatem, non tantum committat simplex peccatum carnis, sed etiam contra votum; & vitifragus sit.

Secundum quod includit votum Castitatis, est abstinere à conjugio & ab omni actu conjugali.

X. Unde jam pridem in concilio Calchedonensi Can. 16. Decretum legitur: "Virginem quæ se Domino Deo dedicavit, similiter & Monachos non licere matrimonio conjungi. Sin autem hoc fecisse inventi fuerint, sint excommunicari. Ostendendæ autem in eos humanitatis auctoritatem habere statuimus Episcopum ejus loci."

Gratianus caus. 27. q. 1. Can. 22.

XI. Num professio Monachalis, ipsumque votum Castitatis implicitè saltem in professione Monastica contentum, etiam olim matrimonium contractum dirimeret, nullumque redderet, non æque expeditum est.

Illud expeditum est, votum Castitatis sive explicitè sive implicitè in Religione approbata emissum, hodie matrimonium contractum dirimere; atque tale votum ponere impedimentum dirimens; uti expressum est in Cap. Unico De Voto in VI.

XII. Hoc quoque ex eadem Decretali habetur, hodie illud votum dumtaxat dici solemne, ac ad matrimonium dirimendum efficax; quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis."

XIII. Constat insuper, hanc efficaciam votorum dirimendi matrimonium contrahendum esse ex mero jure positivo.

Si enim præveniendò jus positivum votum castitatis à Monacho emissum efficaciam habuerit dirimendi matrimonium postea contractum, indubiè etiam illam efficaciam habuit votum castitatis emissum in Religione per Sedem Apostolicam non approbatâ.

Certum quippe est, ante sæculum 13. nequaquam receptum fuisse, ut nova Monachorum institutio à Sede Apostolica approbationem vel confirmationem habere deberet, uti supra sit. 24. cap. 2. notavimus.

Cum verò hodie hæc efficacia solis votis in Religione per Sedem Apostolicam approbata emissis tribuatur, manifestum est, hoc totum à jure positivo dependere. Unde illud Glossæ ad citatum Capitulum unicuique:

Non

Non est ipsum votum quod matrimonium à timore sed est ipsa constitutio Ecclesiæ."

XIV. Hinc quoque elicitur, non esse ipsam extetnam formam professionis seu emissionis, quæ faciat votum solemne ad hunc effectum dirimendi matrimonium; sed ipsa Constitutio positiva dans hanc efficaciam alicui voto, una illud reddit solemne ad hunc effectum; atque ita juxta modernam phrasin, vota dicuntur solemnia, quibus jus positivum simile vim attribuit: & hoc rectè dicitur in allegato Capitulo unico, quod voti solemnitas ex sola Constitutione Ecclesiæ est. Hinc consequens, quod propriè loquendo, votum primum in Societate, postquam à Gregorio XIII. in Bulla quæ incipit, Ascendente Domina, efficax factum est ad dirimendum matrimonium, non incongruè solemne dici possit; quamvis adhuc simplex vulgo dicatur: ideo forsitan, quod non stabiliter statui alicui stringat: eo quod post emissionem hujusmodi voti, post hoc à Societate dimitti, & à voto absolvi.

CAPUT II.

Mulierum ad claustra & Oratoria Monachorum ingressus quomodo vetitus?

- 1. Antiqua Patrum Regula omnem mulierum conversationem Monachis severè interdixit.
- 2. Quamvis quæque mulierum ingressus in Monasteria Monachorum vetitus.
- 3. Egerrime culis S. Gregorius mulierum in Monasteria ingressum; & vetuit Monachis habere Commatres.
- 4. Abbas permittens mulierem ingredi Monasterium festivitatem videndi causâ panitentia subijcitur.
- 5. Interdum etiam excommunicandus dicitur.
- 6. Nonnullæ mulieres illustres obtinuerunt licentiam intrandi Monasterium septa, at eas revocavit P. V.
- 7. Gregorius XIII. Constitutionem Pii V. renovavit; & declaravit in illa omnes generaliter mulieres comprehendit.
- 8. Decretum Eremitarum S. Augustini contra ingressum mulierum in Monasteria.
- 9. Olim etiam ad Ecclesias Monachorum mulieribus non patebat accessus.
- 10. Ea disciplina fuit sæculo VII. in Monasterio Lambri.
- 11. Etiam sæculo X. in Monasterio S. Bertini.
- 12. Ut Mulieres à suis Oratoris Monachi arcerent, Missas publicas in eis fieri noluerunt: Quid Missæ publicæ.
- 13. Hæc disciplina etiam usque sæculum 13. durasse videtur.
- 14. Hæc disciplina etiam hodie & populo & Monachis sepe esset conveniens & utilis.
- 15. Dum mulieres ad Ecclesias Religiosorum admittuntur, curandum ut à Religiosis sint sejunctæ.
- 16. Laudabile quoad hoc PP. Prædicatorum Decretum.
- 17. Etiam si juxta modernam disciplinam liberior sit mulierum ad Ecclesias & Monasteria Religiosorum accessus, omnis tamen familiarior conversatio vitanda.
- 18. Salubre in hoc Eremitarum S. Augustini Decretum.

I. Mulierum conversationem Monachis in Castitate vivere desiderantibus, & ad eam servandam vi suæ professionis adstrictis admodum periculosa existimantes Patres, omne, quantum possibile est commercium mulierum Monachis interdixerunt.

Familiaritatem omnium mulierum [ait vetus Patrum Regula quam Lucas Holstenius tertiam vocat] tam patentem quam extranearum pro custodienda vita, vel cavendis laqueis Diaboli, ab omnibus Monasteriis vel culturis Monachorum; seu frequentationem Monachorum à Monasteriis puellarum, sicut Regula docet, prohibere censens. Neque ulla mulier in interiori atrio Monasterii ingredi audeat. Quod si cum consilio vel voluntate Abbatis Monasterium vel cellulas Monachorum quadam fuerit ingressa, merito ipse Abbas & Monachus Abbatis deponat, & inferiorem se omnibus

Presbyteris recognoscit, quia talis sancto gregi præponi debet, qui eos immaculatos Deo offerre pro curet; non per quaslibet familiaritates diabolo sociare festinet."

II. Regula S. Casarei Episcopi Arelatenfis c. 11. "Mulieres in Monasterio nunquam ingrediantur." Et fortius alius Arelatenfis Episcopus S. Aurelianus in Regula cap. 15. "Mulieres verò, nec Religiosæ nec sæculares, nullæ omnino, nec Abbatis, nec cujuscumque Monachi mater, aut quælibet propinqua aut nota ad salutandum, aut ad orationem ingredi permittatur."

III. Quam ægrè tulerit S. Gregorius mulierum in Monachorum domos ingressum, colligi potest ex Epistola ejus ad Valentinum Abbatem Lib. 3. Ep. 40. in qua scribit: "Pervenit ad nos, quod in Monasterio tuo passim Mulieres ascendant, & quod adhuc est gravius, Monachos tuos sibi commatres facere, & hoc incautam cum eis communionem habere. Ne ergo hac occasione humani generis inimicus sua eos, quod ablit, calliditate decipiat; ideo hujus te præcepti seriò commonemus; ut neque mulieres in Monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittas ascendere, neque Monachos tuos eas commatres sibi facere. Nam si hoc denuò ad aures nostras quocumque modo pervenerit; sic te severissimè noveris ultioni subdendum, ut emendationis tuæ qualitate ceteri sine dubio corrigantur."

IV. Quam & jam pridem Antifiodorensi Concilio decretum fuit: "Si quis Abbas mulierem in suo Monasterio ingredi permiserit, aut festivitates aliquas ibi spectare præceperit, tribus mensibus in alio Monasterio retrudatur, pane & aquâ contentus." Can. 26.

V. Et Concilium Turonense II. Can. 15. "Ut mulier intra septa Monasterii nullatenus introire permittatur. Si Abbas in hac parte, aut Præpositus negligens apparuerit, qui eam viderit, & non statim ejecerit, excommunicatur."

Plures in hanc rem Canones refert Grat. caus. 18. q. 12.

VI. Cumque nonnullæ mulieres, præcipue illustrium familiarium à Romanis Pontificibus licentiam contra hanc Canonicam institutionem accepissent; atque hæc licentiâ prætenderent sibi liberum in ipsa Monasteriorum etiam virotum septa patere introitum, Pius V. expendens periculum ex hujusmodi mulierum ingressu & conversatione Religiosis imminens, Constitutionem in forma Brevis edidit, qua omnes hujusmodi licentias quocumque titulo, & quibuscumque mulieribus concessas revocavit & annullavit, districtè prohibentes, ait, mulieribus quidem prædictas facultates & licentias prætendentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, postquam hanc litterarum notitiam habuerint, à qua non possint nisi à nobis, aut Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolvi, præterquam in mortis articulo, ne dictas domos & Monasteria ingredi audeant.

Ipsis vero Monasteriorum & Conventuum Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & aliis Præsentibus quocumque nomine vocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & Fratribus, sive mendicantibus, sive non mendicantibus, sub privationis officiorum, quæ in presentia obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa & alia omnia, & suspensionis à divinis ipso facto, sine alia declaratione, incurrendis pœnis, ne eas introducere, admittere, ve præsumant."

VII. Hanc Constitutionem rursus renovavit Gregorius XIII. in Constitutione quæ incipit, Ubi gratia 28. in B. R.

Cumque postmodum dubitaretur, num hoc Decreto tantum comprehendere voluisset Pontifex, mentem suam fuisse, comprehendere omnes & quascumque mulieres a-las, tam in genere, quam in specie. Habetur hæc declaratio in Bullario R. ad calcem citatæ Constitutionis.

Disciplinam hanc Patrum Regulis, atque Conciliorum & Pontificum Decretis expressam & firmatam, passim Ordinum Constitutiones inculcant, seriòque ac sollicitè conservari præcipiunt.

VIII Et